



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro integritate sanctimoniaq[ue] cordis, & virtutum omnium per fectione,
precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

rium & gaudium meum, omnis amor & delectatio mea nusquam tendat, nullibi sit, nusquam requiescat præterquam in te solo Domino Deo meo. O Domine, tu solus esto vnica spes & consolatio mea, præsidium & requies mea, vita & salus indeficiens ac sempiterna, Amen.

Pro vnanimitate cunctorum fidelium, precatio.

Iesu redemptor omnium benignissime, exuberantissime fons omnium gratiarum, incluta proles summi Dei, benedicant te omnia quæ in cælo sunt sursum, & quæ in terra deorsum. Quæsumus illo igneo stillicidio charitatis & miserationis tuæ, purga, innoua, illumina, inflamma, exhilara, confirma & vni corda credentium tibi, vt vnum sint, vnum sapiant, vnum vnanimiter requirant & apprehendant, videant & benedicant te Deum Deorum, Amen.

Pro integritate sanctimoniæ, cordis, & virtutum omnium perfectione, precatio.

Benignissime Domine Iesu Christe, amabilissime sponse virginitatis, amator castitatis, qui verbo & exemplo mundum erudiens, cælestem in carne vitam, hoc est, castam atque virginæam docuisti, nec ab alia matre quam virgine concipi ac nasci voluisti, quique sanctissimas virgines Catharinam, Barbaram, Ursulam N.N. atque alias innumeras ad sui contemptum, ad cælestis thesauri, id est, virginitatis cultum, ad tui denique amorem ac desiderium ad eum roborasti, vt malent corpora sua varijs pœnis ac etiam morti tradere, quam aut amissâ virginitate semel pollui, aut immundis amoribus abs te alienari. Obsecro te per omnes miserationes tuas, per immensam tuam ad nos charitatem, per passionem & vulnera tua, per liuorem, dolores, & sangaineas guttas, libera & præserua me ab omni carnis peccato. Da mihi perfectam castitatem mentis & corporis, & (sine qua castitas præseruari non potest) temperantiam atque in cibo potuq; discretionem. Infunde mihi humilitatem, mansuetudinem, patientiam, mititatem, benignitatem, simplicitatem, puritatem, resignationem, charitatem & reliquas virtutes omnes, quibus electissima dignissimaq; mater tua, aliaq; virgines sponse tuæ tibi placuerunt.

Extingue in me omnem priuatum & mundi amorem, vt mundum, & quicquid in mundo est, ac me ipsum totum tibi offeram, dedicem atque in beneplacitum tuum ex toto corde resignem. Dulcis Iesu, absorbeat cor meum ignita & melliflua vis amoris tui, vt ex toto corde meo te queram, suam, intendam, diligam, & benedicam in omnibus & super omnia, vt tibi semper inhæream, in te quiescam & omne tempus vitæ meæ, omnesq; vires animæ & corporis mei, in gloriam, honorem & beneplacitum tuum, amando te iugiter expendam, Amen.

Pro virtutibus & imitatione vite Christi, precatio.

Iesu mansuetissime, obsecro te per mitissimum cor tuum, infunde mihi ex eodem fonte salutari perfectissimam humilitatem, mititatem, patientiam, simplicitatem, castitatem, charitatem, cæterasq; virtutes omnes, vt tui amore cupiam, diligamq; nesciri, contemni, contumelias, & iniurias pati. Dulcis Iesu, fac me imitari vestigia sacrosanctæ vitæ & passionis tuæ in vera meipsum abnegatione & ardentissima charitate. Vulnera cor meum iugi recordatione passionis tuæ, vt aliud nesciam, quam te Dominum Deum meum pro me crucifixum. Hæc sit cogitatio